Viro Nobilißimo

D. DANIELI HEINSIO

S. D.

ANNA MARIA

A SCURMAN.

QUod animum erga nos tuum, Nobilissime Domine, tam honorifico munere testari dignatus sis, id merito eximiæ tuæ benignitati ferimus acceptum. Neque enim adeo philautia mihi imponit, ut quicquam hic meis meritis vindicem; tametsi (quæ tua est divina humanitas) gratis mihi summam virtutis laudem tribuis, ne gratis in me beneficium contulisse videare. Certè ut nihil erat cogitationibus tuis dignius, nihil Christianæ Reip. plausibilius, quam vt hanc operam cœlesti sapientiæ devoveres, ita nobis in hoc genere studiorum quibus immorari atque immori percupimus, nihil obtingere potuisset exoptatius. Vale Virorum humanissime, una cum Dn. Filia, mihi è

hi è paucis perquam chara. Ultrajecti prid. Non. Jan. cIↃ IↃ C XL.

Viro Clarissimo,

D. JOH. BEVEROVICIO
S. D.
ANNA MARIA
A SCHURMAN.

QVę inter pręcipua Charitum munera virginem quam maxime decere putamus, Vir Amplissime, ea hoc potissimum tempore vix retinere videmur, modestiam scilicet & silentium. Tanta quippe nos sollicitat humanitatis vestræ erga immerentem profusio, tamque invidiosis præconiis meam cumulatis inscitiam, ut neque modestiâ silentium, neque silentio modestiam tueri me posse arbitrer. Illud sane elegantissimis tuis litteris effecisti, ut nesciam utrum animo meo humiliorem propriæ tenuitatis sensum impresseris, an vero præclariorem de te existimationem.

Quod